AUTHOR:

BARTELMANN, T.

TITLE:

DE SOCRATE

PLACE:

OLDENBURG

DATE:

1862

Master Negative #

91-80135-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Bartelmann, T
De Socrate... Oldenburg, 1862.
27 p. 22cm.

Programm. Gymnasium zu Oldenburg.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/3/91 INITIALS A.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Gymnasium zu Oldenburg.

Programm

zum Oster-Examen 1862.

P. Bartelmann

Inhalt: De Socrate. | Schulbericht | vom Director.

Oldenburg.
Druck von Gerhard Stalling.
1862.

Quod fieri solet, ut quarum rerum certa non sit tradita memoria, de iis homines docti, ad conjectandi et suspicandi probabilitatem compulsi, dissentiant inter se neque unquam idem omnes sensuri videantur; hoc in Socrate illo accidit, qui quem locum teneat medium inter Sophistas qui dicuntur ipsiusque discipulos et maxime Platonem, discrepat.

Qui enim certissime de illo propter diuturnam cum eo consuetudinem familiaritatemque judicare potuerunt, alteri eorum, Xenophonti, ut erat vir ad negotia et usum vitae promptus, alienus a dialecticorum subtilitate, de singulis Socratis sermonibus ac praeceptis narranti summam fidem habemus, dubitamus, num is fuerit, qui singula illa, quae a magistro accipiebat, ex communi quodam fonte ac principio repetita esse intelligeret. Plato vero, qui vix dixeris cui in philosophia par non fuerit, tanto idem flagravit magistri et admiratione et amore, ut quae ipse sensisset, omnia illius auctoritate commendanda putaret ab eoque profecta esse simularet. Quare quid ipse senserit, quid Socrates, nusquam fere certo discerni potest.

In hac igitur auctorum discrepantia tantum constat, imaginem Socratis a Xenophonte, quantum ipse intellexerit, recte esse adumbratam, neque vero totam esse expressam; a Platone multis luminibus quasi illustratam neque tamen iis, quae omnino a viri natura ac veritate abhorrerent.

Quod quamquam ab omnibus viris doctis hodie concedi videtur et confirmari, tamen multa sunt, de quibus parum convenit. Etenim quaerentibus, qui fieri potuerit, ut idem vir a duobus discipulis tam diversis lineamentis effingeretur, ut vix idem esse videatur, si responderis, hanc differentiam descriptionum ab ipsorum diversitate repetendam esse, nodum non expediveris, nisi in ipsius Socratis natura, quod in omnibus fere viris magnis miramur, temperationem fuisse quandam

concesseris virium, quae inter se repugnare videantur et dissidere. An vero ingenii celeritatem facilitatemque sermones cum quolibet de re qualibet et serendi et subtiliter prosequendi, qua quin unus excelluerit Socrates nemo potest dubitare, in eodem vulgo reperies esse, quem dies noctesque in cogitationibus defixum stetisse ac daemonii illius nutu ac significatione admonitum esse narratur? Hae vires diversae in eodem Socrate ipso mirum in modum mixtae etiam magis quam diversae illae discipulorum descriptiones judicium implicant et conturbant, ut singulis quibusque viri imaginem cogitatione se posse depingere liceat sperare, ceteris omnibus imaginis depictae veritatem probandi spes sit exigua.

Nihilominus juvat nescio quomodo rem saepius tentatam ipsum denuo tentare, si forte quibus recta veraque Socratis obstruitur cognitio, difficultates aliqua ex parte removeantur et tollantur, ut natura et indole viri divini clarius illustrata, quid vera philosophia ei debeat, rectius intelligatur. Adductus sum ad hanc rem maxime studiis scholasticis, quum nuper cum discipulis meis Platonis Gorgiam tractarem; quare quae inter legendum et meditandum occurrerant menti et multis passim variisque locis discipulis tradita erant, hoc libello cogebam et componebam, ut discerpta membra ad unius corporis speciem redacta et viri illius imaginem absolverent et consuetudinis nostrae memoriam servarent.

Ac primum quidem et eorum opinio, qui nihil Socratem a sophistarum natura ac ratione differre volunt, et eorum, qui accuratissime a Platone doctrinae illius imaginem esse expressam contendunt, explosa et refutata videtur esse. Nam neque cogitari potest, acerrimum sophistarum adversarium idem atque illos ipsum voluisse, et Xenophontis narratione adducimur, ut tam perfectam, quam in Platonis libris admiramur, disciplinam Socratis fuisse negemus. Restat igitur, ut medio quodam Socratem inter sophistas et Platonem loco collocemus; quo ab utrisque distare quidem, eundem tamen non omnino ab iis dirimendum esse censeamus. Jam igitur quaeramus, quid necessitudinis ei cum utrisque intercedat et quibus rebus utrosque attingat.

Et de sophistis quidem neque iis assentiar, qui omnis

nequitiae improbitatisque eos et auctores et magistros fuisse dicunt, neque iis, qui veram eos philosophiam si non ipsos invenisse et instituisse, at certe viam ad eam munivisse contendunt. Alteri enim non tam, quae sophistae ipsi docuerunt, spectant, quam quae ex doctrina eorum sponte sequi videntur; alteri quae nullo eorum merito in philosophia emendata sunt, ipsorum laudi tribuunt. Cujus rei testis est certissimus Socrates ipse Xenophonteus, qui ita cum sophistis disputat, ut artes eorum non omnino contemnere videatur; Platonicus quidem si accerrime eos fere semper impugnat, quid mirum, quum Plato id maxime agat, ut diversissimum fuisse et alienissimum a sophistis Socratem convincat, quem judices ut principem et ducem quasi gregis sophistarum capitis condemnassent. Quem errorem non mera hominum improborum invidia et obtrectatione natum esse, sed bonorum etiam honestorumque animis inhaesisse, Aristophanis in Socratem invectio irrisioque satis superque demonstrat. Et crimina, quibus Socrates condemnatus est, quod neque Deos patrios coleret et adolescentium mores corrumperet, ipsa sunt ea, quibus sophistae tenebantur. Est igitur, ut neque Socrates a sophistarum ratione omnino abhorruisse, neque sophistarum ratio omnino falsa et perversa fuisse videatur.

Jure semper homines admirati sunt admiranturque eos, qui Deos a majoribus acceptos candida et intemerata religione venerentur, leges, quibus et domesticae res et publicae regantur, Deorum beneficio institutas ipsisque sancta fide colendas persuasum habeant. Ita moratos summa quaeque et petere et perficere potuisse, omnium gentium annales docent. Verum quum ceterae res humanae ita natura sunt institutae, ut eodem loco et statu esse non possent, quin situ quodam ac veterno torpescerent ac dilaberentur; tum ne religio quidem illa pietasque Deorum ac sancta legibus obtemperatio manet, quin aut in caecam quandam superstitionem vertatur, aut ad rationem mentisque judicium revocata, si causam suam defendere nequeat, de medio tollatur, si judicio liberetur ac probetur, firmius inde in animis hominum insideat magisque foveatur.

Sed dum sub judice lis est, fit fere, ut legum vel divinarum vel humanarum auctoritas infirmetur ac turbetur, prisca fide ac

religione in dubium vocata, nova nondum instituta ac stabilita.

Taedet hujus rei exempla afferre, quae tam manifesta est tamque crebro facta, ut multitudo exemplorum delectus difficultatem habeat. Unum exhibeam, quod maxime ad aetatem nostram pertinet, sacrorum reformationis quae vocatur a Luthero susceptae, quo tempore superstitionibus sublatis omnis permultis legum divinarum et humanarum religio sublata ipsique omnibus honestatis ac temperantiae officiis soluti sibi videbantur. Neque quod tum ipsius potissimum Lutheri gravitate et auctoritate singulari accidit, ut animi perturbati mox ad bonam frugem revocarentur, id non certa quadam rerum necessiate semper factum esse fierique, Graeci illi tristissimo documento sunt.

Nam Graeci, quibus nulla unquam gens ad novas res excogitandas mobilior ac subtilior fuit, jam ab antiquissimis temporibus, quorum certa memoria exstat, miram quandam cognoscendae rerum naturae navarunt operam. Ac primum quidem Thales quicquid esset, ex aqua, Anaximander ex infinita materia, Anaximenes ex aëre natum docuerunt. Tum Pythagoras naturam rerum ad numerum revocandam esse censuit. Postremo Eleatici quicquid esset unum esse neque quicquam esse praeter hoc unum, quod nec moveretur nec mutaretur, defenderunt. Diversum ab his, quibus hoc commune fuit omnibus, ut quales res essent et unde exortae quaererent, non quomodo fierent, Heraclitus duxit ordinem philosophorum, qui id maxime agentes, ut quomodo variae rerum species nascerentur cognoscerent, ad causas legesque motionum rerum et mutationum investigandas animos converterunt. Quorum quum alii alias adhiberent, denique Anaxagoras mentem esse vim invenit, a qua confusa particularum illarum inter se similium materia in ordinem redigeretur. Mente autem corpori opposita, nova philosophia exorta est. Quum enim antea philosophi intra corporum fines studia continuissent, ac ne animum quidem ab hoc genere diversum esse sensissent, tum ad mentis naturam ut quae diversa esset a corpore indagandam adducti sunt.

Alienum ab hoc disputatione est, quantopare omnes illi philosophi a sacris publice receptis discrepuerint, uberius ex-

sequi; nam quis est, qui multos eorum contemti numinis Deorum infamia flagrasse aut etiam impietatis crimine in judicium arcessitos esse nesciat? Sed dum pauci erant philosophi paucorumque intererat inventa ab iis cognoscere, haec res haud ita civium neque religioni neque morum honestati detrimento fuit. Postquam vero Persarum impetu repulso, Graeci opibus augeri tantaque fiducia sui erigi coeperunt, ut nihil se non posse efficere putarent; quum ceterarum artium literarumque studia laetissime effloruerunt, tum philosophorum artes et philosophiae studia vulgata sunt. Jam multa reperta, quae a patribus summa religione observata et culta hominum tum politiorum acie judicioque exacta et examinata stare non jam posse viderentur. Fabulas de Diis a poetis fictas, leges a majoribus acceptas divina origine et auctoritate carere suspicari coeperunt. Quae res dum ab hominibus gravibus et doctis, qui veritatis uno studio accensi erant, quaerebatur, ferri potuit; etiam a poetis tractata maximeque scenicis, qui ut ineptas de Diis fabulas contemnerent, legum divinarum sanctitatem obsequiumque enixe commendabant, nescio an plus profuerit, quam nocuerit; mox vero ad vulgi levitatem et arrogantiam traducta dici non potest quantam calamitatem attulerit. Nam gravioris tantum animi est quaerere quid sit verum; ceterorum nihil interest vera cognovisse, qui omnia ad usum utilitatemque referunt. Quare quod fieri solet, ut vulgi levitas a philosophorum praeceptis probabilem quandum libidinum suarum excusationem petat, Graeci tum experti sunt, ut quae sapientes caute et modeste in dubium vocassent num utique vera essent, homines parum eruditi parumque continentes, ut auctoritatis divinae humanaeque vinculis exemti libidinibus servire possent, vera esse utique negarent. Ita religionum fundamentis eversis, quae pietate continetur virtus et honestas sublata, quid cuique libuisset, non quid legibus liceret quaesitum; abiit pudor, invasit licentia.

Sed ut ceteri homines, sic maxime Graeci ita nati erant, ut opinionum commentis acquiescere non possent, quin ad certam quandam rationem ac disciplinam ea revocare studerent. Mox igitur inventi sunt, qui ad hanc rem studium operamque converterent, qui quum ceteris sapientes esse viderentur, nobili

sophistarum nomine ornati sunt. Sophistae igitur non ii sunt, qui incendii illius, quo tota tum Graecia correpta est, igniculos accenderint, sed qui passim dispersos coëgerint ex iisque flammam exitii excitaverint. Licentiam enim temporum illorum, unde pestis illa vere putatur esse profecta, speciosa quadam doctrinae ac philosophiae simulatione ita exornarunt, ut primum, quam foeda et funesta esset, velaretur, deinde postquam occulte ulceris instar in ipsa civitatis viscera serpsit, tanta vi erumperet, ut neque medicina sanari neque ferro ignive exstirpari aut comprimi posset. Itaque quod supra diximus, sophistae ipsi non omnes improbi et nequam, multi maximeque ii, qui primi hanc artem professi sunt, haud parva honestatis laude omnium consensu celebrantur; hoc tamen omnibus crimini dandum, quod quamvis ipsi honeste vixerint, tamen quum neque sentirent penitus neque scirent quid esset bonum et honestum, quid pravum et turpe, increbrescentibus tum erroribus non modo non repugnarunt, sed etiam honesta philosophiae specie indutis vim addiderunt. Falsae enim opiniones, dum vagae sunt et incertae, non illae quidem contemnendae sunt; sed ferri tamen possunt: ad rationis et artis speciem revocatae mirum quam omnia perdant et pessumdent.

Quamquam multa de vita ac moribus sophistarum tradita sunt, pauca tamen de eorum praeceptis comperimus. Constat principes eorum aut ab Eleaticorum doctrina aut ab Heraclito principia suorum placitorum sumsisse; sed diversis initiis profectos omnes eodem convenisse, ut cognosci quicquam posse negarent. Ita Protagoras, ab Heraclito exorsus, hominem ipsum docuit rerum quales essent normam et mensuram esse omnium, et quae essent et quae non essent; Gorgias ab Eleaticis auspicatus, quicquam esse negavit; neque si quid esset, cognosci posse, neque si cognosci posset, verbis tradi posse*). Alii non certam quandam rationem secuti, quibuscunque rebus veri cognitio tolli videretur, cupidissime undique arripuerunt. Jam qui verum esse et cognosci posse negat, eundem nihil boni ac recti esse nisi quod cuique videatur concedere consentaneum est. Quare quamquam Protagoras egregie de virtute et honestate

*) Manifestum est, quam nihil fere ambo differant eodemque redeant, ut nihil esse dicant, nisi quod cuique videatur.

praecepit; quamquam Gorgias improbas illas Calliclis sententias omnino non probat; Prodicus vero libro illo quem de Hercule scripsit, virtute vitam beatam contineri defendit; tamen neque quae sophistae docuerunt recta quidem, sed rationi ab ipsis institutae contraria, pravam eorum rationem tollere potuerunt, neque recentiores, velut Hippias et Polus, naturae quam vocabant legem ab hominibus scriptae opponere sunt veriti, quarum hanc ab infirmis excogitatam esse, ut a potentiorum vi sese tuerentur, naturam autem suam quemque utilitatem solam quaerere jubere.

Nam si id cuique et verum et honestum est, quod cuique videatur, quum alia aliis videantur, nihil dici potest verum, nihil sanctum, nihil honestum. Atqui sublata veritatis constantia et honestatis sanctitate, ad quam hominum studia ac voluntates dirigerentur, quid reliquum fuit, nisi ut res hominum arbitrio ac libidinibus submitterentur? Eversa igitur veritatis et honestatis stabilitate, libidinum inconstantia subiit, quibus quicquid libuisset, id verum et honestum esse jure vindicatum est. Itaque plurimi sophistae civilium artium, quibus homines regerentur, se esse magistros professi sunt; nimirum qui regit hominum animos, quicquid concupiverit, facile consequetur. Atqui in libera republica qui dicendo plurimum valet, ceteris superior est; consentaneum igitur est, sophistas primos dicendi artem ac rationem et invenisse et excoluisse.

At enim, inquis, qui fieri potuit, ut vetus Deorum religio ac morum prisca fides neminem invenirent defensorem ac propugnatorem. Adeone victores Marathonios eosque, qui Marathoniorum laudes semper in ore habebant, degenerasse, ut qui propter foede diruta Deorum patriorum templa acerbissima in Persas ira incensi erant, iidem ipsi Deorum religiones infestarent et everterent; qui tanta barbarorum propter morum turpitudinem impleti erant contemtione ac despicientia, ut vix homines eos prae se putarent, iidem ipsi turpissimis corruptelarum illecebris irretirentur?

Ad quod primum respondeo, majorum virtutis admirationem, praesertim quae verbosior sit, adeo non admirantium ipsorum virtutem demonstrare, ut nonnunquam ignavorum esse reperiatur, qui majorum gloria suam ipsorum inertiam consolari velint. An vero unquam magnificentius Graeci majorum

laudes venditaverunt, quam quum ipsi longissime ab illorum similitudine recessissent? Deinde habuerunt quidem vetera studia defensores neque paucos neque contemnendos, verum hos ipsos adeo non a sophistarum contagione intaminatos, ut licet improbarent eorum praecepta, refellere non possent. Aristophanes quidem quam vehementer in sophistarum artes invectus sit, non est, quod demonstrem; idem vero ipsis eorum artibus uti non dubitavit. Hoc certe non negaveris, ita eum temporum illorum mores perditos castigasse, ut meliorum rerum spem omnem abjecisse videatur; atqui sine spe victoriae pugnantes frustra pugnant. Quodsi acerrimum rerum novarum adversarium, hominem ingeniosissimum, plane de causa recepta desperare videmus, quantopere reliquos mentes demisisse jure censemus? Cujus rei causa in eo videtur posita esse, quod prisca vitae disciplina ut ita dicam emortua erat, quam licet quam maxime admirarentur, ab inferis revocare non possent. Hominis enim illi non ii erant, qui res antiquitus traditas temere reciperent, quin quo jure niterentur inquirerent. Quamvis igitur veterem rerum morumque statum reduci desiderarent, tamen ipsi, si reductus esset, ferre eum non potuissent, qui consuetudinis et auctoritatis impatientes nihil accipere vellent, nisi quod ratione probatum esset. Quod ipsum quoniam sophistae quoque egerunt, tam singulari admiratione ac studio aequales eos amplexi ac prosecuti sunt, ut qui illorum temporum usum quendam necessarium supplerent. Nam hoc recte ac jure sophistae tenuerunt, rerum fides quando auctoritate non amplius posset firmari, ratione ac judicio eam firmandam esse; errarunt, quod ad singulorum quorumque arbitrium potius quam judicium revocandam eam esse putaverunt. Qui error, dum nemo ac ne ex iis quidem, quos ingravescentium vitiorum maxime pudebat et taedebat, quisquam solvere eum ac tollere poterat, quanto bonis moribus detrimento fuerit, supra demonstravi.

Tandem exstitit is, qui quum et superiorum philosophorum errores et sophistarum fraudes intellexisset, novam philosophiam conderet eamque veram, ex qua omnes inde usque philosophi probabiles tanquam ex fonte rationis verae principia hauserunt. Veteres enim philosophi ita rerum naturam cognoscere sibi visi sunt, ut ceteris earum partibus neglectis et omissis, unam aliquam arriperent et investigarent. Sic Jonici qui dicuntur alii ex aliis elementis singulis, ex aqua vel aëre, ceteris praetermissis, rerum originem repetiverunt; Eleatici unum quod esset defenderunt, rerum mutationem non curaverunt; contra Heraclitus hanc unam secutus, quicquam esse negavit, nisi mutationis necessitatem legemque. Anaxagoras denique, quamquam corporibus mentem opposuit, tamen quomodo inter se nexa essent, in obscuro reliquit. Quae ratio quum a rerum veritate abhorreret, sophistarum dubitationi locum dedit, quibus tum facile fuit oppositas inter se philosophorum opiniones ita componere et comparare, ut veritas ipsa tolli videretur*); causas enim discrepantiae explicare nihil eorum interfuit.

Socratem primo boni honestique naturam investigasse, et tota antiquitas testatur et res ipsa docet. Omnis enim philosophia vera hunc sibi proponit finem, ut inveniat, quo homines propius ad humanitatem adducantur; quem finem, quamquam saepe per multas ambages ad eum appropinquat, tamen nunquam e conspectu amittit. Nam ut cetera argumenta mittam, quid est cur philosophi inventa non celent neque occultent, sed cum aliis communicare iisque persuadere acerrime nitantur, nisi communis omnium mortalium salutis cura et studio? Itaque Kantius noster, postquam nihil ab hominibus cognosci posse demonstravit, nisi quod usu experti essent, quum hac inscitia probata parum profici atque adeo virtutis sanctitatem infringi posse videret, descendit in intimum pectus, ut legem divinitus natam in lucem proferret. Ad hanc legem non scriptam neque acceptam, sed ex ipsa divina hominis natura arreptam Socrates quoque rediit, ut postquam ceterarum rerum omnium, quae sciri possent, fides veritasque infirmata et fracta esset, hanc primum legem, qua recte homines vivere et agere juberentur, firmam et fixam constitueret.

Pauci semper ex innumerabili genere humano inventi

---

*) Quo ludo inani hodie etiam contemtores philosophiae delectantur, ut quo suam insulsitatem et levitatem consolentur, quam diversa philosophi diversi docuerint, digito monstrent.

sunt, qui hujus legis divinam vim ac sanctitatem penitus ipsi senserunt; plerique quem ceteros servare vident morem consuetudinemque servili quodam modo sequuntur; quae ubi a recta ratione aberrarunt, suspicantur illi quidem rem non bene esse constitutam atque adeo corrigi optant; qui vero corrigatur, nesciunt. Tum divino illo viro opus est, qui sanctam Dei vocem a ceteris non perceptam clare audiat auditamque enunciet. Talis vir fuit Socrates, qui ceterarum rerum fide certa nutante, hoc unum ratum firmumque esse obtinuit, esse divinum quoddam numen, cui hominum salus esset cordi, esse legem quandam ab eo sanctam, cui nemo non parere deberet. Ejusmodi viro ut fides habeatur, primum quidem necesse est, ut legis, quam pronunciat, ipsius vita imago quasi sit effigiesque expressa; nihil enim verius est, quam virtutem doceri non posse, nisi proposita virtutis imagine et exemplo. Sed quamvis hoc necessarium sit, ut homines sentire illum quod dicat confidant; ut eorum animi illius praeceptis quasi recludantur iisque se imbui patiantur, aliud quoddem accessisse oportet. Demovenda est falsarum opinionum et superstitionum moles, evertenda inania falsae virtutis simulacra, refellenda quibus libidines excusari defendique solent, argumentorum lenocinia et blandimenta. Non satis igitur est, recte agere, nisi recte agendum esse ratione probaveris.

Hoc est alterum, quod maxime in Socrate admiramur, summum eum per totam vitam in causas recte vivendi inquirendas contulisse studium, eoque magis admiramur, quo rarius fit, ut in eodem et ardor ille divinus amorque virtutis sit et acuta disserendi subtilitas, qua quod verum esse ipsi persuasum sit, ceteris persuadeat; quae res ita contrariae videntur esse, ut altera altera repellatur. Tamen nisi utrumque unus Socrates complexus esset, si virtutem vita tantum usuque exercuisset, multos quidem, velut Alcibiadem illum, ad vehementissimam nequitiae poenitentiam convertisset; vita defunctus nomen et umbra fuisset: sin id tantum egisset, ut praecepta virtutis ad certam rationem revocaret, nescio an minus etiam profecturus fuerit; Platonis quidem philosophiae amor tam arcte cum Socratis admiratione connexus videtur esse, ut utrum altero superius fuerit, aegre discernas. Recte igitur

Cicero Socratem philosophiam de caelo vocasse dicit, quum primus virtutis sanctitatem, quam vita moribusque effinxit, ratione probandam susceperit. Cujus rei quanta fuerit difficultas, ex iis quae supra dixi satis apparet. Quum enim variis ac diversis philosophorum opinionibus tanta hominum animis caligo et nox quasi offusa esset, ut quid verum esset unquam se cognituros esse omnino desperarent, sophistarum vero artibus multi aut inani sapientiae specie illusi scire se opinarentur, quod omnino nesciebant, aut ad tantam turpitudinem abjecti essent, ut verum honestumque esset an non esset, omnino nihil curarent; quantum putas exanclasse laborem eum, qui et illos nova spe veri cognoscendi erigeret, et his vel vanam sapientiae jactationem excuteret vel ex torpore et languore animi indigno eos excitaret?

Quod operae pretium est videre qua ratione effecerit. Ac primum quidem quum virtutis et honestatis speciem tam expressam in animo tamque claram haberet, ut oculis quasi cerneret ipsam ad eamque vitam dirigeret, multi quidem incredibili quadam admiratione et veneratione affecti sunt viri, qui quod plerique cupidissime quaererent, contemneret, peteret, quod vulgus irrideret, eoque adducti, ut esse quoddam bonum suspicarentur, quod reliqua omnia quae vulgo vocarentur ita superaret, ut cum iis comparari non posset. Sed haec suspicio, quamquam apud multos vitae honestioris principium fuisse concedam, tamen non erat ejusmodi, ut certam et constantem haberet vim neque facile variis vitae casibus in animis oblitteraretur. Ut nova philosophia nasceretur ac laeta inde illa incrementa caperet, quibus etiamnunc viget floretque, non solum quam pulchra esset virtus exemplo monstrari, sed etiam verum esse quod imperaret ratione cogi fuit necesse. Quare primum Socrates esse verum aliquod statuit, quod homines cognoscere possent, deinde, quale esset definivit. In quo si veterum philosophorum de rerum natura commenta parum probata ipsaque re confutata sprevit atque irrisit harumque omnino rerum cognitionem negavit a Diis hominibus esse concessam, quibus suarum satis superque esset rerum, vere humanarum, ad usum vitamque pertinentium; quid mirum, quod is, qui veri cognitionem, quam ceteri aut dubitabant esse

aut negabant, certis firmisque fundamentis restituit, in ea parte, quam et firmissimam et maxime necessariam et ad probandum facillimam habebat, una elaboravit expedienda, ceteras ut leviores dimisit? Ceterarum enim rerum fide subversa, hoc certum in optimorum animis relinquitur, ut aliud esse bonum honestumque, aliud malum atque pravum statuant. Hic locus quasi ultimum veritatis refugium est nullis artibus expugnabile; hinc philosopho duce profecta totum regnum amissum recuperare potest. Sed philosopho duce opus est, qui non satis habeat sic temere statuere, sed rationibus quod statuerit tueatur. Quamquam igitur Socrates in unam philosophiae partem moralem quam dicunt inquisivit, rerum naturam, quasi causae earum cognosci non possent, neglexit; tamen quia, quod ipse bonum honestumque esse intimo animo sentiret, ad certas leges, quibus omnes tenerentur, revocavit, viam aperuit, qua philosophia ad summa quaeque in omni genere invenienda enisa est. Causas enim recte vivendi quum neque ex ipsa rerum natura neque ex more et consuetudine, cui nihil fere tum ponderis apud homines erat, repetere posset, quid fuit reliquum, nisi ut ex mentis humanae indole atque natura duceret? Hac via posteriores quidem ad omnes res et divinas et humanas investigandas perducti sunt; ipse vero auctor et inventor novae rationis eatenus tantum eam secutus est, quoad vitae honestae leges certas firmasque reperisset.

In quo consentire quodammodo cum sophistis videatur, qui etiam ipsi ad hominum normam atque mensuram omnia referenda esse censuerunt. Verum hoc interest, ut illi vagam opinandi mobilitatem, hic naturae humanae necessitatem normam statueret; illi quicquid libuisset licere, hic nihil licere doceret nisi quod ab humanitate non abhorreret; illi neque Deorum neque legum vertustatisque nomen sanctum vererentur, hic et Deos et leges, quas respublica sanxisset, pie coleret; denique ut illi quod cuique visum esset, id esse ratum professi, veritatem tollerent, suas artes jactarent, hic nihil esse verum nisi ratione confirmatum ratus, quod ipse sciret, tam nihil esse dictitaret, ut viri sapientissimi laudem, qua Deus se ornasset, inde ortam putaret esse, quod omnium maxime unus non sibi videretur scire, quod nesciret. Duae igitur potissimum sunt res, quibus Socrates a sophistis distat: primum quod honestatem ac virtutem certis finibus iisque insuperabilibus diremtam esse a libidine statuit; tum quod non opinari, quod cuique videretur, sed verum cognoscere et posse homines et debere demonstravit. Jam quoniam alterum illud supra exposuimus ex intima viri natura et honestate sponte quasi natum esse; hoc accuratius videamus qui fecerit ut probaret.

Egregium rationis Socraticae exemplum Xenophon Mem. IV. 2. habet. Euthydemus, qui omnes undique omnium doctorum libros collegit, Socrati interroganti, cur ita fecerit, postquam et quo bonus medicus et quo architectus vel geometres vel astrologus vel poeta bonus fiat se hoc facere negavit, tandem eam se sequi virtutem fatetur, qua homines rerum civilium et domesticarum periti et idonei ad imperandum ceterisque sibique utiles reddantur. At hanc concedit non posse tenere qui injustus sit. Inde Socrates tentare eum vult, num sciat quid justum sit. Quo consilio primum ob eo postulat, ut justi quae faciant proponat. Quod quum alter ille et facile esse et libenter se facturum respondit, Socrates quaerit, num mentiri ac decipere et vim inferre et in servitutem abducere justorum sit, an injustorum. Ille, certe haec omnia injustorum esse, non dubitat respondere. Tum vero Socrates concedere eum cogit, imperatorem, si hostes decipiat fallatque, tamen recte agere. Itaque re accuratius definita, injustum quidem in amicos haec consulere, in inimicos justum esse invenitur. Verum haec ipsa definitio non quadrat; nam neque dux, qui suos decipiat, ut demissos eorum animos erigat, neque pater, qui filio aegroto pro cibo medicinam ministret, ut in sanitatem eum restituat, neque amicus, qui desperanti amico tela subtrahat, ne sibi ipse manus inferat, nemo horum omnium, quamquam mentiantur atque decipiant, injuste agere videntur. Sequitur igitur, ut is demum injuste agat, qui amicos decipiat, ut iis noceat. Sed altera quaestio oritur, uter injustior videatur, qui volens, an qui invitus injuste agat. Euthydemus opinionum quas certissimas firmissimasque habuerat ex fide excussus quamquam dubius est, quid ad hoc respondeat, postremo tamen volentem injustius agere dicit. Tum vero Socrates, ut is qui sciens literas non recte scribat nec legat,

literatior sit, quam qui nescius — alterum enim si velit recte facere posse, alterum non posse — ita qui volens mentiatur ac decipiat, quum sciat, quid justum sit, justiorem esse eo, qui invitus committat neque sciat quid sit justum contendit. Idem hoc probatur ex illiberalitatis nomine, quae sit inscientia recti bonique. Euthydemum autem, qui his sermonibus eo adductus est, ut non solum intelligat, quam nihil de iis sciat, quae penitus cognovisse sibi visus sit, sed etiam omnem spem vera discendi abjiciat, Socrates ad Delphici templi inscriptionem delegat, qua se ipsum quisque cognoscere jubeatur. Quod postquam exposuit quam multas, qui ipsi se suasque facultates vere cognoverint, utilitates inde habeant, et singuli et civitates, qui minus, quam multa incomnoda; Euthydemus consentit quidem recte id dictum videri, hoc vero se scire velle, unde cognoscendi sui initium faciendum sit. Tum Socrates ad quaestionem boni et mali sermonem convertit et in hoc quoque genere plane rudem et inscium Euthydemum esse convincit, quae hic bona esse opinatus sit, velut valetudinem integram, sapientiam, formae venustatem, gloriam, alia neque certa esse et saepe maximorum malorum fuisse causas demonstrans. Postremo ne hoc quidem Euthydemum, qui civitati populari praeesse cupiat, scire coarguit, quid sit populus. Nam quum populum inopibus civibus contineri dicat, Socrates neque quid sit divitem esse, neque quid pauperem scire eum ostendit.

In hoc exemplo cernitur illud, quod Xenophon alio loco (Mem. IV, 6.) in Socrate laudat, per ea quae maxime confessa essent, progressum, ad certam scientiam et ipsum pervenisse et alios facile adduxisse, sermones semper ad rem ipsam revocantem neque unquam quaerere desinentem, quid quaeque res esset. Similiter Cicero (d. invent. I, 31) exemplo alio quodam ex Xenophonte allato, ita rem amplectitur, ut dicat: Quum rebus non dubiis esset assensum, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videbatur, si qui separatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur.

En habes initia artis, quae ut iterum Ciceronis verbis (d. orat. I., 42) utar, rem dissolutam divulsamque conglutinet et ratione quadam constringat, dialecticam dico, qua et genera, quae sui similes communione quadam, specie autem differentes partes complectuntur, inveniuntur, partes autem generibus iis, ex quibus manant, subjiciuntur; omnia denique, quae sunt vel generum vel partium nomina, definitionibns quam vim habeant exprimuntur. Quam artem apud Socratem non quidem perfectam invenimus, nascentem tamen ita, ut in tota ejus ratione regnasse videatur. Quanto autem hanc artem philosophiae praesidio et fuisse et esse putas, qua una omnium rerum formis accurate et excussis et descriptis scientia absolvitur? nam qui singularum modo rerum aliquam habet cognitionem neque ita earum vim infinitam et materiam scientia et cogitatione comprehendit, ut universi generis claram teneat et distinctam notionem formarumque perfectam notitiam, is nihil vere scire judicandus est.

Duplici quidem dialectica utitur ratione, ut aut genus ponat per varias species vel formas explicandum, aut comparatis rebus singulis, si quas repererit in iis similitudines, has tanquam species earum ponat; dissimilitudinibus autem collectis et dispositis varias generis species absolvat; tum accurate his descriptis et definitis, totum generis ambitum teneat, quot formae ejus sint intelligat, denique quae ad earum singulas pertineant, perspiciat. Socratem autem hac altera quae inductio vocatur fere una usum esse constat; altera enim illa absolutae suis numeris philosophiae comes esse solet neque ante Aristotelem videtur increbuisse. Quamquam igitur Socrates artis dialecticae nihil nisi fundamenta quasi egit, tamen quantum meritus sit de philosophia, si cum superioribus illis hunc comparaveris, facile intelliges. Illi enim ex infinita rerum universitate aliquam quasi arripuerunt temere, ex qua ceteras et natas esse et recidere eodem demonstrarent, mentis humanae cogitandique legum nulla habita ratione; ita necessitate quadam eo pervenerunt, ut aut rerum, quae sensibus perciperentur, veritatem omnino negarent, aut qui minus audaces erant, manifesta sensuum ac praesenti evidentia capti, nihil certi sciri posse contenderent. Anaxagoras quidem mediam quae hanc discordiam componere posset interposuit mentem, pacem ipsam non composuit, ut qui neque naturam causasque discordiae penitus cognovisset neque adjutoris quem adduxerat vires

atque robur. Socrates demum utrumque intellexit, et natum esse bellum illud, quod res ipsae, non formae ac notiones rerum mente fictae in certamen vocatae essent, et dirimi posse, si a rebus ipsis ad mentem transferretur. Quare eam rationem invenit, qua primum singula quaeque ad generum quasdam species et universas notiones referrentur; deinde de nexu quaereretur et mutua ratione, qua junctae inter se essent et copulatae, ac de ordine, quo sese exciperent; postremo definito genere et descripto in species et formas inter se ipsas definitas firma conderetur scientia. Jure igitur ab Aristotele Socrates inductionis ac definitionis auctor appellatur. Nam quamquam certa artis praecepta proposuisse non videtur, vim tamen usumque ejus quam bene calleret, sophistae ceterique, qui scire sibi videbantur quod nescirent, experti sunt, quos hujus artis vinculis quasi constrictos, quod solebant facere, vagari atque incerte errare non patiebatur, sed explanare cogebat, quid esset illud quod dicerent; denique quantum ipsi de vi ac gravitate dialecticae persuasum fuerit, hoc habemus certissimum documentum, quod virtutem doceri posse haud ambigue contendit.

Nam quod supra dixi, Socratem in humanarum potissimum rerum cognitione versatum esse, id non ita dixi, quasi omnino eum fugisse putarem, quam arctis vinculis divinae res cum humanis nexae essent. Si amicis templi illam inscriptionem commendavit, ut se ipsi cognoscerent, a physicorum eos vanis argutiis avocare voluit; vim divinam, qua cum cetera omnia, tum maxime animus humanus regeretur, cognosci ab hominibus posse ita non negavit, ut vix quicquam saepius uberiusque cum amicis quaesiverit, quam de divino numine ordineque per totum mundum permeante, unde animus ipse humanus natus esset. Quod qui statuit, non potuit animum humanum ita a rerum divinarum cognitione secernere, ut illius quidem naturam posse investigari, has vero ad intelligendum non apertas esse putaret. Sed quamquam ipse plerumque de rebus ad vitam usumque pertinentibus disputavit, quippe cui nihil antiquius esset quam ut cives sui quam optimis moribus essent, tamen hoc tenuisse videtur, omnium rerum et humanarum et divinarum naturam et in ratione positam esse et

per eam explorari posse, quae vero ratione non niteretur scientia, contemnendam esse eam neque homine dignam. Denique quem plus rationi putas tribuisse, quam eum, qui totam hominis dignitatem ita ea una contineri pronunciaverit, ut inscientia peccantem minus probabilem confirmare, quam qui sciens falleret, non dubitaverit.

Sed quamquam negari non potest, a ratione Socratis absonum fuisse cognoscendi studium certis quos non transiret finibus circumscribere, tamen ipsum non ad omnes res cognoscendas aggressum esse atque adeo quarundam investigationem irrisisse concedendum est. Sed quum superiorum philosophorum de rerum natura somnia ut vana et futilia infirmaret et illuderet iisque ne temere crederent amicos moneret, somnia quidem illorum contemsit, rem autem ab iis frustra petitam via ac ratione peti comprehendique posse non negavit, praesertim quum ipse rectam viam praeierit, ut finem qui dicitur omnium rerum quaerendum proponeret. Quod vero ipse maxime in rebus ad vitam utilibus versatus est, quid mirum, si unus omnia neque voluit efficere neque potuit, sed in eo potissimum genere elaboravit, quod aut jucundissimum ei aut maxime necessarium videretur? Sit igitur, ut Socrates in disputando plerumque eas tractaverit res, quibus recta vita teneretur (quamquam harum ipsarum perscrutatione latius eum vagatum esse et ad vim quandam divinam omnia moderantem ac tuentem pervenisse demonstravimus); dumne has solas ratione cognoscendas statuisse eum putaveris.

Jam quaerentibus, quid tandem de vita recte agenda Socrates docuerit monueritque, necopinatum ac mirum hoc accidet, ut idem fere praescripsisse videatur ac sophistae. Apud Xenophontem quidem omnes de justo ac recto disputationes ad unam utilitatem refert: libidinum continentiam et laborum patientiam propter ea commendat, quae inde ad hominum robur ac valetudinem sequantur; amicitiam laudat, quod amico nihil hominibus utilius cogitari possit; injustitiam fugiendam esse, ne poenam des; denique (Mem. III, 7.) nihil se scire bonum, quin alicui rei bonum sit, plane ac diserte dicit. Quid, quod in ipsa oratione, quam capitis accusatum Plato ad judices habentem facit, nihil aliud, inquit, agens circumeo quam ut

persuadeam et junioribus et senioribus, ne corporis neve pecuniae neve alius ullius rei prius vehementiusque curam gerant, quam animi ut quam optimus sit; nam non ex pecunia virtutem, sed ex virtute et pecuniam et cetera omnia bona et privata et publica gigni duco. Haec ratio nonne proxime accedere videtur ad sophistas, qui etiam ipsi bonum esse, quod cuique utile esset, statuerunt? Sed accuratius re expensa, in verborum consensu rei quam maximam diversitatem latere invenietur idemque hoc loco factum esse, quod supra Socrati accidisse vidimus, ut non aliter ac sophistae etiam ipse veri cognitionem ad hominis revocaret mensuram, ita tamen ut quum illi aliam apud alios fluxamque opinandi inconstantiam, hic certam omnibusque eandem cogitandi legem ac necessitatem normam esse intelligeret. Utilitatis enim nomen, quo utrique communi utuntur, diversum apud utrosque habet vim. Sophistae enim externa tantum quae vocantur corporisque bona et quibus ea pararentur petenda proposuerunt; quae quidem Socrates non contemsit, idem vero quam non vitam vitalem his bonis contineri senserit, multis apud Xenophontem sermonibus significavit, quibus eos demum optime vivere dicit, qui quam maxime boni fieri studerent (Mem. IV, 8, 6.) vel nullam esse majorem voluptatem, quam si quis meliorem se reddi sentiret (I, 6, 9) vel ut ad Euthydemum illum redeamus, nullum quod vulgo putaretur esse bonum, neque bonam valetudinem, neque sapientiam ad artes vitaeque usum accommodatam, neque ipsam felicitatem, si quidem rebus ambiguis, quales essent corporis forma roburque et divitiae et gloria, contineretur. Quibus locis quid tandem esset bonum ipsum, non aperte dixit, aliud autem praeter felicitatem eum sensisse ex iis, quae non esse bona confirmavit, colligere licet. Exclusis enim omnibus, quae ad voluptatem pertinent, nihil relinquitur ut bonum petendumque sit, nisi ipsum honestum. Eoque magis adducimur, ut ita Socratem sensisse existimemus, quo facilius intelligere nobis videmur, qui factum sit, ut rem animo perceptam verbis non notaret.

Ac primum quidem tenendum est, non perfectam quandam eum habuisse philosophiae formulam; viam rationemque eum invenisse, qua ad absolutam omnibus numeris artem perveniretur, non absolvisse artem ipsumque in singulis partibus definitionibusque ita haesisse, ut summam philosophiae moralis finemque bonorum non attingeret. Deinde quum maxime ejus interesset, ut praeceptis civium suorum mores corrigeret, non ut praecepta ad artem redigeret, quid mirum, si virtutis commendationem non ab ipsius natura, quae intelligi non potest nisi si usu eam exercueris, sed ab utilitate repetivit? Eodem pertinere videtur, quod virtutem doceri posse certe statuit; nempe hoc sibi munus a Deo injunctum esse censuit, ut docendo homines meliores redderet. Jam tu Socratem non vidisse putas, quod ne hebetissimi quidem non vident, virtutis neque vim cognosci neque speciem amari posse nisi ab usu docto? Monstrari tantum ea posse, quae ex virtute nascerentur commoda, ex improbitate incommoda? Quae quidem ratio permultum valet ad hominum, quales esse solent, animos commovendos et in puerorum educatione fere una dominatur. Quis vero unquam fuit, qui praecipiendo docendoque id efficeret, ut audientes ipsius virtutis amore incenderentur? Fac ut ipse, quod Socrates fecit, virtutis veritatem prae te feras; mirum quantum profueris apud homines ad imitandum propositum virtutis exemplum; verbis quamvis ornatis disertisque frustra rem tentabis. Docendo enim monendoque hoc fieri potest, ut impedimenta quaedam virtuti argutiarum fallaciis obstructa *) removeantur atque tollantur; quid vero sit bonum atque honestum quamque sit unice petendum, non ab alio quoquam cognosces, nisi ex te ipso natum sit. Quare qui postea Socratem secuti de virtute docuerunt, eorum Plato quidem quadripartito virtutis genere, sapientiam dicit esse recte cognovisse, quod animo salutare sit; fortitudinem, quid petendum fugiendumve sit; continentiam cupiditates parere rationi; justitiam denique

*) Id quod Cicero (Tusc. II, 5) recte dicit, quum ut ager, inquit, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus: ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est: haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos. Quod vero addit, philosophiam etiam mandare animis et serere quasi, quae adulta uberrimos fructus ferant, claudicare videtur quaerenti, unde philosophia prima semina acceperit.

bonum ordinem ac consensum omnium animi partium; neque vero magis explicat, quid tandem id sit, quod salutare esse animo vel quod fugiendum petendumve, vel quem bonum animi ordinem esse dicat, quam Aristoteles, qui ita rem expedit, ut bonum esse definiat, quod boni faciant. Simili modo Kantius quamquam divinam officii naturam atque originem debitis laudibus effert, tamen definitionem omittit; quam enim proponit, ea ad utilitatem redit, ab officii natura et dignitate abhorret. Neque equidem video fere quemquam eorum, qui virtutem probandam ratione susceperunt, ad utilitatem non confugisse, quam etiam nunc qui ab utilitate ipsum nomen traxerunt philosophi unam sequuntur, non quidem ad singulorum quorumque commoda, sed ad universi generis humani salutem revocatam. Eo minus igitur mirandum est, quod Socrates quoque, cujus potissimum proprium fuit, ut ad rationem omnia referret, quo virtutem commendaret, in utilitate maxime versatus est, quam vel invito demonstrare posset virtutis esse comitem. Nihilominus quod Socratem utilitatem finem bonorum non statuisse diximus, ejus rei aliud habemus argumentum, non illud quidem verisimile ac probabile tantum, quod impugnare possis si velis, sed ex ipsa viri natura ac veritate petitum. Quid enim fuisse putas, cur non semper virtutem utilitate metiretur, sed saepius ad leges traditas vel divinas vel humanas amicos delegaret, nisi quod ipse esse quoddam sensit, quod utilitatem superaret, ita ut rationem potius, quam unam veram habebat veri cognoscendi, ubi honestati deesse videbatur, quam honestatem ipsam deserere mallet. Itaque in Platonis Apologia, cujus verba ac dispositio nescio an Platoni debeantur, res certe Socratis sunt, primum praeclarum illud legimus: Deo magis parendum esse quam hominibus; a Deo suam cuique vitae officiique stationem esse assignatam, quam non desereret; non posse fieri, ut bono viro a malo vere noceretur. Quas quidem opiniones etsi ratione utilitateque non defendit, tamen tantum iis tribuit, ut non solum totam vitam ad eas dirigeret, sed etiam mori mallet, quam iis non obtemperare: tanta erat viri insita quaedam et nativa veri honestique perspicientia. Haec est enim singularis illa in Socrate variarum atque adeo diversarum

animi facultatum temperatio, quam initio commemoravimus, ut quem natura, quo erat incredibili ingenii acumine, impelleret et quasi cogeret, ut tanquam ad calculos omnia vocaret, idem tanto tamque invicto veritatis honestatisque ardore et impetu raperetur, ut ubi ratio a veritate, cujus speciem in animo infixam tenebat, discrepare videretur, rationi potius quam veritati renunciare vellet.

Quid vero? qui neminem injuste agere contendit nisi invitum atque inscium,*) tantumque tribuit rationi ac scientiae, ut quod usus quotidianus refellere videretur, id propter rationis admirationem obtineret, hunc tu dicis veritatem nescio quam nativam doctrinae per notiones descriptae ac dispositae anteposuisse? At vide, ne hoc ipsum, quod contra me dicis, mecum faciat. Nam hoc certe Socratem fugere non potuit, quod neminem nostrum fugit, esse permultos atque etiam plurimos, qui contra quam rectum esse scirent saepe facerent, nisi aliam scientiam ac notionum definitione ac nexu collectam animo percepisset. Quare si verum est, quod Socratem eo primum ad philosophandum adductum esse diximus, ut veritati et honestati a Sophistis oppugnatae succurreret, hanc ipsam veritatis et honestatis informationem quandam insitam ejus animo et antecaptam fuisse apparet, quam ratione explicaverit quidem, non invenerit. Accedit quod negari non potest, inchoatam ab eo rationem, non esse perfectam multaque eum docuisse eaque verissima et gravissima, quae ratione neque probaverit neque potuerit probare. Quae unde hausisse eum censes, nisi ex coelesti illo mentis instinctu afflatuque, quo abrepti homines ad omnia divina evolant? An sine illo spiritu divino poetas non posse putas esse, philosophos posse? Equidem tam singulari discipulos inprimisque Platonem magistro deditos fuisse addictosque studio ac veneratione eo existimo, quia in ipso divinum hoc inesse senserunt, quo a ceteris hominibus omni-

*) Etiam hoc dictum apparet ad utilitatem posse referri, quae injuste agendo minuatur, sed ad eam utilitatem, quae ab animi sanitate integritateque secerni non possit, ut ad ipsam honestatem proxime accedat. Sanitate enim animi nihil majus cogitari potest, ad quod virtutis praecepta, ab humana origine, non divina auctoritate repetita, spectare possint.

bus differret; quod etiam nunc in Socratis persona, qualem Plato exhibet maximeque in iis libris, qui de ipso Socrate sunt, ita videtur spirare, ut mirum in modum legentium animi commoveantur. Ne multa: Socrates parum discernens, quid ipse naturae deberet, quid rationi, doctrinam sine natura usuque non satis ad virtutem valere non vidit rationique nimium tribuit. Quod Plato quidem (in libris de rep.) rectius vidit, qui perfectam quidem eam esse censet, quae doctrina confirmata esset; sed natura quoque usuque paratam ita non esse spernendam, ut ex hac demum illa efflorescere posset. Itaque principium philosophandi amorem illum pulchri constituit, unde dialectica duce ad plenum pulchri adspectum fructumque perveniretur; ac de virtute vel honesti scientia ita disputat, ut si oculis cerneretur ejus forma ac species, mirabiles eam sapientiae amores excitaturam esse dicat. Haec mihi videtur etiam Socratis esse scientia, qua quidem qui tenetur, fieri non potest, ut aliter agat atque rectum esse intellexerit. Nam equidem existimo, neque Socratem, neque Platonem, neque alium quemquam philosophum hoc nomine dignum *) viso quodam veri honestique divinitus in eorum animis impresso effictoque caruisse, ad quod artem doctrinamque accommodarent. Quo viso qui omnino eget, si quis eget, frustra eum ad honestatem amplectendam admonebis atque excitabis; verba tua sine sensu ad ejus aures accident. Philosophi autem eo ceteris mortalibus praestant, quod visum illud apud plerosque obscuratum ipsi clariore luce fulgens quasi oculis cernunt — quamquam ipse Plato non semel queritur visum illud non semper suis oculis obversari, sed abire nonnumquam e conspectu —, ejusque admiratione furore illo divino, qui ab animi perturbatione ac temeritate longissime abest, instincti, et ipsi omnes cogitationes et animi ingeniique vires ad illud dirigunt et adaptant, et ceteros id demum esse

---

*) Etiam Kantius, quo vix quisquam invenietur philosophus moderatior ac sanior, quibus laudibus quam grandibus sublimibusque officii nomen illustrat? (Crit. d. pract. Vern. p. 154), ut non jam caute quaerentem, sed divino numine tactum audire tibi videare. Pectus enim non solum disertos facit, sed etiam philosophos.

humanum docent, quod ab illo non dissonet. Est enim humanitas ipsa finis omnium, quae de virtute praecipiuntur, in divina hominis natura posita, quam Plato justum animi ordinem ac disciplinam vel justitiam, Aristoteles medium quendam inter nimium et parum modum, Stoici vitam naturae convenientem nominaverunt. Quid vero sit ipsa humanitas, non cognosces, nisi expedieris et explicaveris confusam variorum animi motuum turbam. Ad hanc rem dialectica opus est, quae suum cuique locum tribuat. Cui quantum Socrates debuerit, demonstrare non possumus, cujus imago memoria tradita est viri pleni ac perfecti; Platonis quidem fervidum ingenium non dubito affimare dialectica potissimum frenatum atque cohibitum esse, ne juveniliter lasciviret. Sed quantumvis dialecticae tribuas ad castigandam ingenii luxuriam, tamen alia est vis, qua divinam humanitatis speciem ipsam informas informatamque intueris. Unde fieri videtur, ut et Socratis Xenophontei sermones et Platonis dialogi eum saepe habeant exitum, ut falsae opiniones coarguantur, verum autem quid sit, obscure significetur. Quod neque eo satis explicatur, quod Platonem hoc tenuisse dicunt, nihil valere ad philosophiam praecepta memoriae tradita, nisi audientium vel legentium animi meditandi et commentandi stimulis exacuerentur; neque vero eo, quod Platonis scripta putant, si qui etiam nunc putant, non ad ipsum veritatis penetrale quoddam et adytum perducere, sed in pronao templi atque aditu versari. Sed res ipsa impedimento est, ne virtus ejusque officia ita argumentis defendantur, ut rationis absolutione definiantur.

Restat ut de Socratis ironia atque daemonio quod vocatur pauca addamus. Et illa quidem nihil aliud est nisi summa artis dialecticae perfectio, qua adversarios in disputando, qui nihil nescire sibi viderentur, ipse nihil se scire professus, ita confundebat confutabatque, ut illudere videretur. Daemonium autem quid vere fuerit, confiteor neque veterum scripta satis explicare, neque recentiorum interpretationes evolvere atque explanare videri. Hoc quidem certum est, ut ironia mirae viri ingenii celeritatis testis est, ita daemonium ex singulari ingenii altitudine emersum, in obscuro illo confinio divini atque humani quaerendum esse in imo pectore delitescente.

Ut breviter colligamus, quae dicta sunt, hoc maxime discrimine Socrates a sophistis diremtus est, ut illi primum contrariis philosophorum placitis, quae unde orta essent non reperiebant, ad dubitationem adducti num verum cognosci posset, mox cognitionem veri omnino non curarent, sed quod cuique videretur, id ei esse verum dicerent; denique honestatis legem omnibus esse hominibus eandem negarent; Socrates contra sophistarum levitate rationis, praeceptorum pravitate offensus, ut virtutis speciem, cujus ipse pulchritudine et admiratione impletus erat, ceteris probaret, avocata mente a rebus ad se ipsam, eam rationem iniret, qua non solum virtutis auctoritas, sed etiam veri in omni genere cognitio restituta est. Itaque illi quidem priorum philosophorum, quorum repugnantiam inter se ita intenderunt, ut veritati locus non relinqueretur, concordiae viam invenire neque potuerunt neque voluerunt, agmen claudunt; ab hoc novus exorditur philosophorum ordo, qui quam ille rationem veram inchoaverat et ad unam philosophiae partem adhibuerat, eam perfecerunt et ad reliquas transtulerunt partes totamque philosophiam ad artem omnibus numeris absolutam revocarunt. Quare qui Socratem secuti sunt, in primis eorum Plato, non tanto ab eo intervallo sejuncti sunt, quanto ipse est a sophistis; opus ab eo inchoatum quum ad perfectionem adducerent, multa quidem addiderunt, multa expoliverunt, nonnulla denique correxerunt ab illo parum accurate definita; quaecunque autem docuerunt, differunt ea quidem ab illo, sed ita ut non aliena esse videantur, sed liberorum quasi lineamenta patris imaginem referant.

Magnitudinem viri quanta fuerit ut recte expendamus, duae sunt potissimum viae explorandi, ut aut ipsum per se qualis fuerit examinemus, aut quae ab eo orta sint quorumque causa fuerit, colligamus. Et ad illam quidem rationem Socratis personam si excusseris, nescio an neminem omnium, quos unquam terra tulit, amore ac veneratione tua digniorem invenire possis eumque, in quo omnes humanitatis partes magis conspicuae sint, quam in Socrate, qui, quo majus dici non potest, non sibi, sed civibus suis vixit, et ita vixit, ut non externae alicui eorum utilitati serviret, cujus rei plerumque ab hominibus plenissima gratia habetur, sed animorum eorum ut saluti ac sanitati consuleret, quod beneficium nunquam fere non capitali odio refertur. Secundum alteram rationem si reputas quid Socrates effecerit, ecquem nominare possis magis meritum de toto genere humano? Laudant annales divinam rerumpublicarum legumque conditorum sapientiam, imperatorum virtutem plus quam humanam, incredibilem inventorum artium, quibus victus facilitas vitaeque commoda et ornamenta comparantur, solertiam, recteque laudant. Sed quae illi effecerunt, quamvis sint magna, tamen fragilia ac fluxa, certe ea, quae non per se petenda sint. Socrates in paucorum illorum numero referendus est, quorum, dum homines erunt hoc nomine digni, non solum memoria non interibit, sed operum aeternitas manebit. Ut mittam, quod nemo potest ne nunc quidem haberi velle philosophus, quin ad fontes sapientiae, quos ille princeps reclusit, recedat; quod duarum illarum familiarum, quarum alterutri omnes ad unum philosophi adjungendi sunt, altera a Socratis discipulo Platone, altera ab Aristotele Platonis discipulo, profecta est: quantum id valere putas, quod quicquid honestatis et virtutis non solum apud Graecos, sed per totum imperium romanum usque ad id tempus, quo nova apud Iudaeos lux veritatis exorta est, reliquum fuerit, ejus semina originesque a Socrate repetenda videntur? Qui quamquam ruentes saeculi mores sustinere non potuit, tamen aut sua doctrina aut a discipulis exornata ita hominum ordinum omnium animos virtutis et humanitatis quadam specie imbuit, ut quae evangelii nuntii interpretesque divinitus missi pronunciarent, ea audientiam haberent facilem ac paratam. Tantum potuit unus vir, quia spretis contemtisque rebus caducis ac perituris id unum petivit, quod unum propter se ipsum petendum hominibus propositum est.

Uebersicht

der im Schuljahre Ostern 1861—62 von den Lehrern gegebenen Lectionen.

Prima.

Ordinarius: Director Bartelsmann.

Sprachen.

Latein. Gelesen wurden: Hor. od. III. und IV. mit Auswahl und ep. ad Pisones. Cic. div. in Caec. und Act. in Verr. II., 4 und 5. 3 St. Der Director. Cic. de nat. Deorum mit einigen Auslassungen. Tac. ann. 3—5. 3 St. Coll. Dr. Burmeister. Dazu 2 St. Stilübungen (Uebersetzungen meist aus Schiller) und freie latein. Aufsätze. Der Director.

Griechisch. Gelesen wurden: Soph. Oed. Tyr. und Col. Plato Gorgias, Apol. Socr., Criton und Charmides. Monatliche Exercitien. 4 St. Der Director. Hom. Il. XVI—XXIV, I. im Sommer 2, im Winter 1 St. Conr. Prof. Hagena.

Französisch. Gelesen wurden: Nouvelles Genévoises par Toepfer. Le Misanthrope und les femmes savantes. Einzelnes aus Idler und Nolte. Th. IV. Thèmes und Extemporalia über Literatur und aus Schiller's Geisterseher. Mündliche Uebungen. 2 St. Dr. Laun.

Englisch. Shakesp. Richard. II. Henry IV., Th. 1 u. 2. 2 St. Conr. Prof. Hagena.